



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Art. III. Quæ sint reliquæ conditiones confessionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

ARTICULUS III.

Qua sint reliqua conditiones confessionis?

Resp. Præter integritatem sunt hæ tres :

Prima, ut sit vocalis, scilicet ordinariè: idq; propter usum, & praxin Ecclesiæ graviter obligantem; nisi subsit justa causa, ut impotentia, sive physica, sive moralis : quæ si adsit, potest fieri nutu, scripto, aliove signo, v. g. si quis ob anxietatem loqui non possit; aut puella supra modum verecunda, aliter si non possit explicare, quam scripto, quo à confessario lecto, addat voce, de his me accuso. *Suar. V. s. q. C. Lugo, Laym. l. 5. t. 6. c. 6. num. 3.* Imò qui aliter non potest, tenetur juxta communem sententiam confiteri per nutus, aut scriptum, tempore præcepti: etsi id, quoad scripturam, non admittant, *Navar. Tol. Sorus. Valent Dian. extra articulum mortis. v. C. Lugo, d. 15. num. 87.* Similiter suadendum esse surdis, ut confiteantur scripto, (licet ad id non teneantur) ne ab aliis audiantur. Eandemque ob causam eos non interrogandos, nisi de planè necessariis, ex *Possev. docet Dian. p. 3. t. 4. R. 127. & p. 3. t. 6. R. 5* Unde resolves hunc Casum.

Is, qui extra necessitatem, totam confessionem facit nutu, vel scripto, mortaliter peccat, ac consequenter non absolvitur. *Dian. p. 3. t. 4. R. 127. ex Sylv. v. Föll. tom. 1. t. 7. c. 1. Cõn. d. 6. dub. 1, Suar. d. 25. f. 3. n. 5.*

Secun-

Secunda Conditio, ut sit secreta, id est, ut fiti Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed ut in ecclesiâ. Publica autem, qualis in naufragio, gratia hospitali; ubi alii adjacent, vel per interpretem, non obligat (saltem respectu peccatorum occultorum) nisi ex charitate sui cum, qui in articulo mortis dubitat de contritione; ac tum ad hoc sufficit ea confiteri, quæ minorem pariunt infamiam. Ita *Suar. Fagunâ. Dian. p. 3. t. 4. R. 29. & 119.* resolves.

Si quis peccata in prioribus confessionibus oblita esset, non teneretur etiam in articulo mortis ea confiteri publicè, vel per interpretem: quia peccatorum oblitorum confessio tantum obligat præcepto positivo divino, quod in hoc casu resolat. v. *Laym. ca. 6. Dian. p. 3. t. 4. R. 128. & 119.*

Tertia Conditio, ut sit vera. Quod requiritur essentialiter in materia substantiali & necessitate, quia alias in re gravi decipietur iudex: neque esset confessio integra, ideoque irrita. Non tamen in materia libera, tum quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam, non irritat sententiam irritam; tum quia talis tantum peccat venialiter, cum non sit graviter injurius Sacerdoti, nec sacramento. Ita *Navar. Suar. & 119.* resolves.

I. Non est mortale, nec irritat Sacramentum. Si in confessione mentiaris leviter, circa res non pertinentes, aut non necessarias ad Sacramentum, v. g. si historiam falsam narres, vel si neges veniale, vel mortale, quod non teneris confiteri. Si falsò te accuses de veniali; quod tamen mortale

grave erit, si id facias non dando aliam materiam, cum sic formam reddas irritam, & sacramentum: nisi tamen facias ex scrupulo, perturbatione. Ita *Suar. Fill. tom. 1. t. 7. ca. 4. Laym. l. 4. t. 6. ca. 8. Dian. p. 1. t. 4. R. 69.*

II. Sacrilegium est, & absolutio nulla: 1. Si mortale, quod confiteri teneris, & putas esse, neges, aut negas, ne intelligatur 2. Ut communiter docetur contra *Sylv* si mortale tibi falso imponas, nisi tamen fiat ex simplicitate, scrupulo, & c. 3. Si neges vel mentiaris circa peccata alias ritè absoluta, quando Confessarius, ut Judex vel Medicus deus, aliquid, ut necessarium ad præsentem confessionem interrogat, *Lugo, d. 14. s. 10. Tamb. l. 2. c. 10. §. 2.* secus si ad præsentem confessionem non faciat. *Ibid.*

ARTICULUS IV.

Quando confessio sit invalida, & quomodo iteranda?

Resp. I. Id contingit ex duplici capite. *Primo* ex parte confessarii, si jurisdictionem habuit, vel certè impediram per censuram, vel si formam substantialiter vitia vit; vel non intendit absolvere, vel peccatum nullum intellexit.

Dico, *nullum*: quia si ob surditatem, somnum, vel distractionem, aliqua licet mortalia non intellexerit, sine culpa pœnitentis, probabilius est. valuisse absolutionem, ac postea tantum repetenda esse non audita, ut contra *Sylv. Anton. Navar. & alios,*